

mare : Quo ferimini, mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis; filiorum vero, quibus illas relinquatis, exiguum curam geritis? ENGELGR. in *Dom. vi. post Pasch.* § 1, ibid.

Joannis Gersonis mater, ut filium orationis assuefaceret, cum emendatæ aut jentaculi tempus instabat, eum in genua procumbere, atque a Deo nuces, castaneas, poma, et quæ optabat, postulare; quæ ipsa postea de superiori domus parte occulte deiciebat, ut e caelo data crederet filius.

NECESSITAS. Solon lege caverat, ne parens a filio subsidii aliquid expectaret, quem in adolescentia nulla arte instituit, aut institui curasset. PLUTARC. in *Solon.*

Plato pronuntiavit, nullum ex reliquis animantibus atrocius fieri homine, atque effratius, nisi tempestivis disciplinæ auxiliis mitigetur. PLAT. I. VII. de *Log.*

UTILITAS. Educatio et disciplina virgæ Moysis similis est, de qua Cornelius a Lapide dixit : Virga est disciplina, correctio et castigatio, quæ initio pueris imperfectis horrida videtur, ut serpens; sed in fine, cum ejus fructum experientur, agnosunt esse virgam paternam ac pastoralem. CORN. in c. IV. *Ex.*

Nam, ut ait Apostolus, omnis disciplina in præsentem quidem videtur esse non gaudii, sed morosis, postea autem fructum peccatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ. HEBR. XII. 11.

Recte pronuntiavit Seneca, debere homines viaticum senectutis litterarum eruditione parare, dicendo, ne defecerint insipienti animo : Litteras tanquam baculum infirmo corpori paratas esse, eundem finem esse discendi et videndi. SENECA. in *Prov. Ph.*

Quare, inquit idem, liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem disponunt. Idem, ep. I.

Educatio et disciplinamores facit, et illud sapit unusquisque, quod didicit. Hinc alibi dicebat idem Seneca, hanc educationem, maximam diligentiam, plurimumque profuturam requirere; facile enim esse, teneros adhuc animos componere; difficiliter autem recidi, quæ nobiscum creverunt.

#### AUCTORES.

Josephus Langius, in *Polythea* V. eodem, et V. *Disciplina*. Institutio.

Henricus Engelgrave, p. 2. *Luci Evangelicæ*, in *Dom. 6. post. Pascha.*

Mathias Faber conc. A. in *Festo S. Nicolai*. Philippus d'Outreman, in *Pedag. Christ.* p. A. c. VI, § 1 et 2.

Laurentius Beyrlinek. in *Theatro Vitæ hum. V.* eodem.

### EVAGATIO MENTIS.

#### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. Est mobilitas et inconstantia animi sub oratione ad aliena objecta conversi. Quam piotum quidam apte oculis subiecit, dum Christum in cruce pendentem, et ante hunc duos homines flectentes pinxit, ita tamen, ut ex primi ore unica, eaque recta linea ad Christum dirigeretur, ex ore secundi vero variae lineæ in campos, domum, cellam vinariam, horreum, uxorem, liberos, et similia progredirentur. DREX. in *Rhet. cæl. I. I.* c. III, § 3.

DIVISIO. Dividitur plerumque in *Naturalem* et *Moralem*, seu *Inculpabilem* et *Culpabilem*; quarum prior non voluntarie admittitur, sed ex naturali mobilitate mentis exoritur; posterior vero cum deliberata voluntate committitur, ideoque merito culpabilis dicitur.

ACTUS. Primus est, nullam preparationem adhibere ad collectionem animi procurandam.

Secundus, ultra distractionum causas accersere, puta curioso aspectu, non necessario colloquio, actione aliqua impertinente, etc.

Tertius, distractiones exortas oscitanter reprimere ad morem illius famuli, qui jussus ægro domino assidere, et muscas abigere, nictare oculis incipit, et modo flagellum tollit, muscasque abigit, modo iterum manus decidere mittit.

Quartus, nullo prorsus modo distractiones tales reprimere, sed voluntarie tædi levandi gratia iisdem immorari.

#### EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longo est a me. MATH. XV. 8. Nolite locum dare diabolo. EPH. IV. 27.

Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo : Deus enim in caelo, et tu super terram. ECCL. V. 5.

Estote autem prudentes, et vigilate in orationibus. I PET. IV. 7.

Cor meum dereliquit me; multiplicatae sunt super capillos capitis mei (distractiones). PS. XXX. 13.

DAMNUM. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. JER. XLVIII, 40.

Cospit ejicere vendentes et ementes dicens illis : Quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum. LUC. XIX, 43.

#### EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. Notandum, quod nequaquam dicitur in libro Job, preces, sed, desiderium meum omnipotens audiat. Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. S. GREGORIUS, c. II. *Mor.* 18.

Nihil est in me corde meo fugacius, quod, quoties me deserit, et per cogitationes pravas deluit, toties Deum offendit. Cor meum, cor vanum, vagum et instabile, dum suo ducitur arbitrio, et divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili per innumera huc illic discurrit.

FUGA. Noli tristari, si, dum oras, subtilissime inimicus irrepit, animique intentionem claram ut fur avertit; sed bono esto animo, dum semper lubricam revocas mentem; Angelus enim datum est, hujusmodi furibus non parere. S. CLM.

Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces tuo corde debemus. Cogitatio omnis secularis et carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et Sacerdos ante orationem, præfatione premissa, parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda*, ut, dum respondet plebs *Habemus ad Dominum*, admonetur, nihil se, quam Dominum, cogitare debere. S. CYR. I. de *Orat. Dom.*

Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur; obrepit enim frequenter et penetrat, subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, aliquid habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Ibid.

Invenire dixit (David) se cor suum quasi solerter ab eo fugere, et ille sequi quasi fugitivum, et non posse comprehendere, et clamare ad Dominum : Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque, fratres mei, quod hic ait : Suavis es tu et mitis, etc. Videor mihi videre ad hoc mitem dixisse Deum, quia patitur ista nostra, et expectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; et quando illi eam dederimus, accipit grate et exaudit, nec meminit tantas, quas incondite fundimus, et accipit unum, quam vix invenimus. S. AUGUS. in *Ps. LV.*

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

O quid intus patior, dum mente coelestia tracto, et mox carnalium turba occurrit cogitationum! Deus meus, ne elongeris a me, neque declines in ira a servo tuo. LIB. III. c. XLVIII. § 5.

Sic ego homo infelix mecum pugno, et factus sum mihi metipsum gravis, dum spiritus sursum, et caro quatit esse deorsum, Ibid.

Ignosce mihi, et misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo. Confiteor, etenim vere, quia valde distrahe me habere consuevi; nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo. Ibi sum, ubi cogitatio mea est; ibi autem frequenter est cogitatio mea, ubi est, quod amo. Ibid. § 5.

Beatus ille homo, qui propter te, Domine, omnibus creaturis licentiam abundanti tribuit; qui naturæ vim facit, et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit, ut serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignisque sit Angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris et intus exclusus. Ibid. § 6.

Scio, quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio, evacuarè. Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat et horrorem, ut ab oratione revocet, et sacra lectione. Non credas ei, neque eures illum, licet sapius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ibid. § 4.

Affectus ille bonus et dulcis, quem interdum sentis, effectus gratiæ presentis est et quidam prægustus Patriæ ælestis, super quo non nimium innitendum, quia vadit et



venit. Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionemque spernere diaboli, insigne est virtutis, et magni meriti. *Ibid.* § 2.

## EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — In Brabantia demon virginem Nivellanam obsessam tenens, cum ab exorcizante orationem Dominicam recitare jussus fuisset, sic precabatur: Pater noster in cœlis, nomen tuum, fiat voluntas in terra, panem quotidianum hodie, debita nostra debitoribus nostris, nos a malo. Et una cachinnum tollens: Ecce, inquit, ita vos orationem vestram dicere soletis. *DREX. in Rhet. col. l. I, c. III, § 3.*

Quidam asino vectus, dum templum ingressus asinum foris alligasset, et orationem Dominicam recitare aggressus advertisset, perpetuam sibi de asino amittendo sollicitudinem suboriri, mox egressus asinum vendidit, ut distractionum causam removeret. *Ibid.* § 4.

FUGA. — Anna, Samuelis mater, tantum oquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. *L. I. REG. c. 1, 13.*

S. David, ut distractiones fugeret, presentiam Dei assidue cogitabat, ut ipse fassus est dicens: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Ps. xv, 18.* Item: Ecce sicut oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. *Ps. cxxii, 2.* Hinc alibi ait: Invenit servus tuus cor suum, ut oraret ad te oratione hac. *II, REG. vii, 27.*

S. Leonardus, cum sub oratione serpens in sinum irrepressisset, nihil motus orare perrexit, finita vero oratione ad illum dixit: Quid tibi vis, hospes? Si quid licentiæ in me a Domino accepisti, exere; tuæ me potestati non subducam. *DREX. l. c. § 5.*

S. Dominicus, dum noctu ante aram orabat, dæmon cum interturbare volens, lapidem e tecto Ecclesiæ deiecit, coque impetu, ut tota Ecclesia illo casu circumsonaret. Usque adeo antem capiti ejus propinquus fuit lapis, ut caputium illius contingeret, sed viro Dei nihil se movente, diabolus horrendum ejulans discessit. *SCRIB. in Vita, 4. Augusti.*

S. Franciscus, cum oraturus Ecclesiam in-

grediebatur dicere solebat: Manete hic cogitationes meae, donec egrediar; et ubi opus Dei complevero, si indigere me vobis contingat, iterum vos assumam. *MARCH. in Hort. Past. tr. II, lect. viii.*

S. Ludgardis, cum aliquando in oratione suaviter cum Christo loqueretur, et ad negotium vocaretur, magna cum simplicitate et confidentia ei dicebat: Expecta me, Domine Jesu, celeriter expediam me, et ad te revertar expedita. *Ibid.*

DAMNUM. — Cum S. Hilarion aliquando sub oratione aliud volveret, dorso ejus festinus gladiator insiliens, latera calcibus, et cervicem flagello verberabat, dicens: Eia, cur dormitas? Cachinnansque desuper cum defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. *S. HIER. in Vit.*

## EXEMPLA DOMESTICA.

FUGA. — S. Ignatius ante omnem orationem preparabat animum, et quasi in cubiculum cordis intrabat; unde tam attente et ferventer orabat, ut ex intentione animi morbum sæpe contraheret. *RIBAD. l. V. Vit. cap. 1.*

S. Franciscus Xaverius pro attentione comparanda ante singulas officii horas hymnum *Veni S. Spiritus* recitabat tanto fervore, ut ei cor e pectore exilire, animusque deflere, videretur. *Vita l. VI, c. v.*

Franciscus Suarez, licet occupatissimus esset, quando tamen Breviarium in manus sumebat, omnes cogitationes alienas mox deponerat, quam collectionem temporis distributioni (quam ille matrem spiritus appellare solebat) attribuit. *Vita t. de Angel. præfix.*

P. Petrus Faber hæc ad distractiones cavendas media adhibebat. 1. Tempus orationis sæpe in memoriam revocabat. 2. Paulo ante omnia negotia disposuit. 3. In ipsa oratione post singulos Psalmos dicebat: Pater celestis, da mihi spiritum bonum. 4. Imaginabatur sibi se videre utramque Angelum, bonum quidem omnia verba pie pronuntiatum, malum vero evagatione animi prolata, scribentem. 5. Imperabat animo, ut vel in uno Psalmo sine evagatione animi esset, id si acquisivit, ad alium progressus est. *HIST. Soc. l. III, n. 33.*

P. Sebastianus Barrada tanta cum attentione orabat, ut strepitus introentium in

cubiculum aut sacellum non audiret. *Vita Joannes Berekmannus* ad orandum se componebat oculis leniter clausis, manibus ante pectus adductis, genibus flexis, corpore ad stuporem immoto, ut attentionem animi tanto facilius retineret. *Vita.*

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut is, qui arcum manu tenet, sagittam tamen contra adversarium dirigere nequit, si illam in vanum nulla certa intentione et fructu emittet; ita et ille, qui orationem sine debita intentione attentioneque peragit, modicam ex ea utilitatem percipiet. *S. EPUR. in Doc. de Penopia Spir.*

Sicut globus in summo monte incipienti ruere, præcipitem cursum non sistit, donec ad radicem montis perveniat, at vero globus terræ immisus nihil fugæ molitur; sic cor humanum volubili globo simillimum, nisi Deo altius se immergat, cadendi ac precipitandi finem non inveniet. *DREX. in Rhet. col. l. I, c. III, § 2.*

Sicut lusciniæ inter complures corvos non potest placere cantu; sic nec lingua oratione inter plurimas evagationes peracta placere potest. *Ibid.* § 4.

Sicut nobile unguentum odorem perdit, si pyxidi operculum desit; ita spiritus precum evanescit, ubi os sine lege garrat. *Ibid. c. IV, § 4.*

Sicut Abraham, dum in montem sacrificaturus ascendit, asinum ad pedem montis reliquit, famulosque et alia ad sacrificium importuna; ita qui ad montem thuris et myrrhæ, hoc est orationis locum, ascendunt, omnia ejusdem impedimenta foris relinquere debent. *MARCH. in Hort. Past. tr. II, lect. 8.*

Sicut molendinum continuo volvitur, et farinam prodeicit juxta appositum granum; sic mens humana humanas cogitationes semper quidem in animo fovet, sed tales, quales illi a proprio appetitu aut voluntate præscribuntur. *Ibid.*

DAMNUM. — Sicut turpissimum est, si quis se scribam profiteatur et versus flexuosos et curvos pingat, lituras faciat plurimas, chartam atramento spargat, et multa eradat; ita non minus turpe erit alienas sub oratione cogitationes sponte admittere. *DREX. l. c. § 5.*

Sicut tu, si quis pedes tuos manibus sor-

didis attingeret, supplicationem ejus non audires, sed calcibus repelleres; ita nec Deus illum exaudit, qui corde immundo preces persolvit. *Ibid.* § 4.

## MOTIVA.

*Impudentia ejusdem vitii*, quam Card. Bellarminus ostendens ait: Ecce loquimur cum Deo; et statim ab imaginatione ad alia cogitanda tracti tergum Deo vertimus. Quis nostratium dominorum ferret famulos suos secum loquentes, continuo se neglecto ad fabulandum cum conservis averti? *BELLARM. in Ascen. ment. Gr. XIV, c. II.*

*Stultitia hujus evagationis*. Quis enim non stultum putaret eum hominem, qui ad Regem eccelsum variasque gratias impetrare volens, eam orationem et verba usurparet, quibus cum ad indignationem magis incitari, quam flecti, sciret? Atqui hoc facit, qui cum voluntariis distractionibus orat.

*Irreverentia ejusdem*, ob Angelorum preces annotantium, colligentium, Deoque offerentium presentiam. *S. BASIL. in Regul. Brev. q. 306.*

*Levitia demonum ob ejusmodi distractiones concepta*; nam, teste S. Ephrem, si dum oras, mens tua distrahitur, sive per oculos, sive per aures, sive per cogitationes, scito hoc ipsius inimici esse opus. *S. EPUR. de Panoplia Spirituali.*

## MEDIA.

*Accurata preparatio*; nam tantum Deus apponit ad adiutorium, quantum nos ad diligentiam apposuerimus. *Eccl. xviii.*

*Puræ conscientie studium*; nam, ut S. Job recte dixit, si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris, levare poteris faciem tuam absque macula. Super quæ verba S. Gregorius ait: Faciem levare est in Deo animum pro studium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat. Diffidit namque accipere se posse, quod appetit, quæ profecto reminiscitur, nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit. *S. GREG. l. X, Mor. c. xvi.*

*Imaginatio presentie Dei*. Quanta enim cum reverentia, inquit S. Bernardus, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet a palude sua proprensus renuncula vilis!



Quam supplex, quam denique humilis et sollicitus, et toto intentus animo Majestati gloriæ in præsentia Angelorum, in concilio iustorum et congregatione assistere poterit miser homuncio! S. BERN. s. IV, de Modis orandi.

*Constantia in iis repellendis*; sic enim S. Basilus monuit dicens: Quod si flagitiosarum cogitationum vis vehementior insurgat, ne sic quidem deiciendus est animus, neque suscepta certamina ex dimidia parte confecta relinquenda, sed eo usque obfirmate perdurandum, quoad Deus perspecta nostra constantia Spiritus Sancti gratia effluat. S. BASIL. *Constit. Mon. c. XIII.*

*Sensuum custodia*; juxta monitum Christi: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. MATTH. VI. 6.

*Spiritus Sancti invocatio*; nam sicut carbonibus non vivunt, et thus sibi superinjectum accendunt, nisi igne aimentur; ita oratio frigida est, nisi per Spiritus Sancti ignem animetur. DREX. in *Rhet. cœl. l. I, c. III.*

#### ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ Asceta circa hanc evagationem bene addiscere, aliosque docere debet. Primum est, utpote cognoscat originem et radices illius, quarum quatuor assignat S. Bernardus, scilicet *culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, erigentem, tribulationem cruciantem*. Jacobus Marchantius tres, sed magis remotas assignat radices, nempe vulnus primævum et corruptionem naturæ; pravam consuetudinem, et malitiam dæmonum, de qua B. Ægidius, cum interrogaretur, cur dæmones plus adversarentur oranti, quam aliud pium opus exercenti? respondit: Si quis litem alicui intendat eorum Judice, is, cui vis infertur, omni studio laborat, ne contra ipsam sententia feratur; ita et dæmon facit, nam quando pius homo Deum orat pro sua aliorumque salute, litem intendit dæmoni tantquam animarum prædoni.

Alterum est, ut bene cognoscat *modum vitandi distractiones*; quem quidem pulchre S. Gregorius docuit, dum dixit: Semper ante orationis tempora debet sollicite conspici, quidquid potest in oratione reprobari. Sæpe namque immunda vel illicita quedam animo versamus, quoties a precibus vacamus. Sed

cum mens se ad studium orationis exerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. S. Basilus vero rogatus, quomodo quis asssequi possit, ne inter orandum distrahatur? respondit: Si certo Deum se ante oculos habere credat. Si enim principem aliquis aut præsidem intrens, et cum eo loquens oculos ab eo dimovere non solet, qui non tandem credibilis est intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibet, qui scrutatur corda et renes, et illud facturum, quod scriptum est: *Levantes puras manus sine ira et disceptatione?*

Tertium est, ut etiam cognoscat, quomodo se gerere debeat in distractionibus; qua in re iterum facem præferens S. Basilus ait: Cave diligenter, ne cogitationi illi animi tui assentiare, quæ ab orationis Canone nondum peracto avellere te studeat. Habent enim hunc morem dæmones, ut faciendæ orationis temporibus, per speciosam aliquam laudabilis causæ simulationem nobis auctores sint, ut ab ea nos subducamus, ut quam salutem afferre nobis intelligant, ab ea nos probabiliter abducant. Id quod etiam B. Virgo S. Brigitam docuit, dum eadem per distractiones fatigata dixit: Diabolus explorator invidus querit impedire bonos, dum orant, tu vero, filia, quacumque tentatione pulseris, persiste in desiderio, vel bona voluntate et conatu sancto, prout potes quia desiderium et conatus plus reputabitur pro defectu orationis. Marchantius vero id apta etiam similitudine confirmat, dum ait: Sicut qui adverso flumine navigat, licet quandoque repellantur, et retrocedant, non desperant, sed vires ingeminant, et cum conatu remigant; ita idem adversus fluctus distractionum in oratione faciendum est.

Certe B. Ægidius dicere solebat: Si non potes nisi distractas orationes et meditationes offerre, tamen offer; quia Deus etiam pilos caprarum in tabernaculo acceptabat.

#### CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione thematis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, possunt explicari conditiones ad orationem attentam requisite, quod videlicet sicut I. Thymiamina constabat quinque rebus, thure, galbano, onyche, stracte, mastyche; ita oratio quinque virtutes, Fidem, Spem, Charitatem, Humilita-

tem, Constantiam requirit. 2. Sicut thymiamina templo inferri debebat; ita oratio in corde velut templo Dei sancto peragi debet, ne audiat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. 3. Sicut thymiamina offerri debebat per Pontificem summum; ita oratio per Christum Dominum nostrum. 4. Sicut thymiamina carbonibus accensis imponi debebat; ita oratio ferventi animo peragi. 5. Sicut thymiamina reata sursum ascendebat; ita et oratio non ut fumus a vento distractionum dispergi, sed reata linea ad Deum dirigi debet.

Ex occasione thematis: *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*; potest ostendi, quo potissimum medio distractiones cavere queant. 1. Ergo dicatur, quod, juxta S. Augustinum, cubile nostrum sit cor nostrum. 2. Quod cubile hoc habeat ostium duabus valvis constans, scilicet cupiditate et timore alicujus rei terrenæ. 3. Quod ostium hoc Christo aperiendum, diabolo claudendum sit. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat; per desiderium vite æternæ Christus intrat; per timorem peccatorum temporalium diabolus intrat; per timorem inferni Christus intrat. Ne ergo detis locum diabolo; quia tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. S. AUG. in Ps. xxxv.

Ex occasione thematis: *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum*; potest oratio sagittæ comparari, et ostendi, quomodo dirigi debeat, ut non redeat retrorsum, id est, irrita non sit. Si scilicet 1. *Per arcum intensum*, id est, internam cordis attentionem, protrudatur. 2. *Si genua flectantur* (ut sagittarii solent interdum) per externam corporis humilitationem. 3. *Collimando ad certum scopum*; id est, certum finem aut rem impetrandam sibi proponendo, ut ad ferventius orandum animemur. 4. *Sinistrum oculum*, id est, corporalem claudendo, et solum dextrum, id est, internum mentis apertum servando.

Ex occasione thematis: *Unde habet zizania*; potest oratio triticeo comparari ob necessitatem, utilitatem, dignitatem super alias actiones; distractiones vero zizaniis, quia facile cresunt, triticum impediunt a crescendo, et ad nihil utiles sunt, nisi ad comburendum. Deinde ostendi possunt radices quatuor, paræ prioribus indicatæ, videlicet culpa mordens, cura pungens, affectus vi-

tem, tribulatio crucians; simulque modus demonstrandi, quomodo debent.

Ex occasione thematis: *Ecce ignis et ligna. Ubi est victima holocausti?* potest iterum exemplo Abrahami ostendi, quomodo oratio seu cor devotum in holocaustum offerri Deo debeat. Nempè 1. *Evando in terram visionis*, per præsentiam Dei cogitatum, aut templi visitationem. 2. *Dicendo negotiis et desideris alienis*: Expectate hic cum asino; ego autem et puer (id est cor meum) illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. 3. *Ligna et ignem secum accipientes*, id est, materiam orationis, et fervorem, quo eliciantur affectus. 4. *Alligando Isaac*, id est, cor suum, ne per distractiones auferatur; et *super ligna ponendo*, id est, orationem totum applicando. 5. *Evadendo manum*, id est, exteriorum etiam corporis et membrorum reverentiam adhibendo. Quod si facient, audient cum Abraham: Quia fecisti rem hanc, benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen (id est merita) tuum, sicut stellas cœli. GEN. XX. 7.

Ex occasione thematis: *Cupio dissolvi et esse tecum*; potest narrari historia de S. Athanasio, puerum cum avicula vineulis alligata vidente, et ubi illum aviculum in altum evolentem iterum retrahere vidit, cum gemitu dicente: En sic diabolus ludit nobiscum. Ex qua historia narrata inferatur, hunc diabolus ludum maxime in oratione exerceri; nam 1. Anima per alas viorum piorum affectuum se ad cœlum erigit, dum attente orat. Verum 2. mox iterum filo volubilitatis ad antiquas terræ ineptias retrahitur. Hinc clamandum ad Deum, ut vincula hæc dirumpat sua gratia, ut dicere possit anima cum Davide: Diripisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ex occasione thematis: *Opprimantur operibus, et explent ea, ut non accipiant verbis mendacibus*; dicatur diabolus pleuræque Pharaonem imitari, et quando volunt per orationem sacrificare Deo suo, eos laboribus et negotiis curisque opprimere. Ostendatur itaque, 1. Quibus laboribus opprimat, scilicet paleis honorum terrestrium colligendis, et lateribus villissimarum voluptatum conficiendis. 2. Ostendatur, quomodo se liberare debeant ab hoc jugo, scilicet recurrendo ad Moysen ac Aaronem, iisque suam necessitatem et afflictionem exponendo; hoc est, Christi, B. Virginis aliorumque Cœlitum opem implorando, ac



deinde omnino violenter a Pharaone aufugiendo; sic enim ille insequens eos in mari rubro sanctissimi Sanguinis Christi submergetur. EXOD. v. 9.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Philosophi quidem hominem definiunt rationale animal; at rectius alii aiunt, esse ipsam inconstantiam, ut qui, Job teste, nunquam in eodem statu permanet. DREX. in *Rhet. cœl.* l. I, c. III, § 1.

Prisci Patres in Ægypto dicere solebant: Homo orationis amans cœcus, mutus, et surdus esse debet, neque oculos alio vertat, nec sermones importunos misceat, nec strepitus molestos, garritionumve susurros, audiat. Ibid. § 2.

Plutarcus censet a Numa Rege profectum illud: *Adoraturi sedeant.* Ut monerentur tumultus cogitationum ejicere, et uni Deo attendere. Ita David Rex sedit coram Domino. DREX. l. c. vi, § 1.

Quod S. Paulus de charitate, hoc non incommode de attentione et fervore orationis dicitur, nempe quod et si omnes libellos orationis recitando absolvam, fervorem autem et attentionem non habeam, nihil sum, et factus velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Unde S. Aug. Quam multi, ait, deprecantur Deum nec sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo. Sonum deprecationis habere possunt, vocem habere non possunt, quia ibi vita non est. S. AUG. in Ps. 139.

S. David suadet, ut effundamus cor nostrum in conspectu Domini sicut aquam, non sicut oleum; quia aqua non tam facile adheret vasi, sicut oleum; ut per hoc intelligeremus, cor nostrum penitus ad Deum migrare debere in oratione. DREX. l. c. c. III, § 1.

## AUCTORES.

Joannes Busæus, V. eod. in *Panario.*  
Jeremias Drexelius, in *Rhetorica cœlesti*, lib. I, cap. III et seqq.

Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum*, tract. II, lect. 8.

Antonius Daurellius, in *Catechismo histor.* cap. II. tit. 14.

## EUCCHARISTIA.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est Corpus et Sanguis Christi, sub speciebus panis et vini, cum anima et divinitate realiter et substantialiter existentis. CANISIUS, c. IV. de *Euch.* § 1.

Vocatur autem Eucharistia, id est, bona gratia, seu gratiarum actio, quia præcipuum et maximum Dei donum, ipsumque omnis gratiæ fontem et auctorem continet, summorumque nos bonorum admonet, pro quibus acceptis gratiarum actionem, laudem, et gloriam summam Deo summo debemus.

Tria præcipue continet, species visibiles, Corporis et Sanguinis Domini veritatem, et spiritualis gratiæ virtutem. CANIS. § 2.

Quinque capita de ea potissimum sunt scienda. 1. Veritas illius. 2. Transsubstantiatio, seu panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi conversio. 3. Adoratio eidem debita. 4. Ejusdem oblatio et sacrificium. 5. Sumptio illius sub altera vel utraque specie. CANIS. § 3.

Finis illius triplex est, ab ipsa Ecclesia sequentibus verbis indicatus: O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et future gloriæ nobis pignus datur. Quem finem clarius explicavit Concilium Tridentinum his verbis: Salvator noster discussurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitiis sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilem suorum etc. Sess. XIII.

Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tanquam adiutorium, quo liberemur a culpis quotidianis, et a culpis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit future nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis; adeoque symbolum vivum illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra artissima fidei, spei, et charitatis connexionem adstrictos esse voluit.

## EX S. SCRIPTURA.

NECESSITAS. — Omnes sitiennes venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite; venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac. ISAL. LV, 1.

Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. JOAN. VI, 54.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. PSALM. CI, 5.

UTILITAS. — Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo. JOAN. VI, 56.

Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. I. COR. XI, 26.

Hic est panis de celo descendens. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. JOAN. VI, 50 et 52.

Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. JOAN. VI, 55.

JUCUNDITAS. — Vincenti dabo manna absconditum. APOC. II, 37.

Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. CANT. v, 1.

Pro quibus Angelorum esca nutritivis populum tuum, et paratum panem de celo præstitisti sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. SAP. XVI, 20.

Quid enim bonum, et quid pulchritudo ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virginis? ZACH. IX, 17.

DIGNITAS. — Calix meus inebrians quam præclarus est! PS. XXI, 5.

Hic est panis Angelorum de celo descendens. JOAN. VI, 50.

PRÆPARATIO. — Anima polluta, quæ ederet de carnis hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populo. LEV. VII, 20.

Leprosus, aut patiens fluxum seminis non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. LEV. XXII, 4.

Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. MATTH. VII, 6.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? MATTH. XXIII, 12.

Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. I. COR. v, 8.

Non potestis mense Domini participes esse, et mensæ demoniorum. I. COR. x, 21.

Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. I. COR. XI, 30.

## EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

SUBSTANTIA ET QUALITAS. — Hoc Sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris; nec bonorum dispensationum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. S. AUG. de *Ecl. Dogm.*

Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de celo deposceret, non valebit sermo Christi, ut species elementorum mutetur? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Sermo igitur Christi, qui ex nihilo potuit facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, mutare in illud, quod non sunt? Non enim minus est, novas rebus dare formas, quam mutare naturas. S. AMBR. I. III de *Sacram.*

Liquet, quia præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc, quod conficimus Corpus, ex Virgine est. Quid queris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine? Ibid.

Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substituerunt excelsa colorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, et servit effectus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quando quidem qui est auctor muneris, ipse etiam est testis veritatis. EUSEB. EMYSEN. hom. v de *Pasc.*

O ineffabilis dignitas conditoris! O stupor indicibilis charitatis! Quis non contremiscat? Quis non cum exultatione miretur? Sane nunquam fuisse homo ausus talia petere, sed neque cogitare; quoniam hoc miseri-